



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

Ex Clementina vnic. de rer. permut.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

hac salutari clausula frequentius : immò semper inesse censebitur ut maximè non fuerit expressa, sicuti contingit in stipulatione dotis. d. l. stipulationem. ꝑ. de iure dot. Pergamus ad hanc igitur Clementinam.

CLEMENTINA unic. de rer. permut.

Clemens V. in Concilio Viennensi.

NE concessione iuris utentibus præsertim circa spiritualia illudatur, si qua beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, aliis quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis.

Miretur fortè quispiã cur hanc fecerit constitutionem Clemens quintus, cùm iam per superiora iura maximèque per Bonifacianam securitati permutatium satis videretur esse consultum. Nam si permutantes præferantur Expectantibus Pontificiis, quibus beneficia primùm vacatura sunt affecta, quantò magis præferentur quibuslibet aliis nullum planè ius ante vacationem vel habentibus vel prætendentibus at sola collatione quæ nunc sit omnino voluntaria spontaneaque nixis, nemine scilicet ordinarium collatorem cogente vel urgente? Nostros Interpretes hùc non sensisse scrupulum, submiror; igitur ad hunc eximendum sic equidem sentio; Bonifacianam non satis clarè beneficiorù quorumlibet permutatores expectantibus vel aliis quibuslibet præferre: primò quod nominatim loquatur de beneficiis ad solius Episcopi collationem pertinentibus,

236
Quorsum Clementina fuerit opus post Bonifacianam de rer. permut.

i ij tibus,

tibus, deinde quòd solos postponat expectantes istos Põtificios vt homines ambitiosos & odiosos, deniq; præterea quòd nihil de cõtractio collatoris facto disponat quando nimirũ collator omni reiecta cõditione tacita sponte sua beneficium sic resignatũ nihilominus confert vel expectanti Pontificio vel cuilibet alteri quàm permutanti. Quamobrem generalis hæc eademque clarissima retundissimaq; constitutio Clementina comprimis & utilis & necessaria fuit; vt ampliùs dubitari non possit quin aliis facta beneficiorum ex causa permutationis resignatorũ collatio quàm permutantibus ipsis, ipso iure foret omnino nulla. quòd huius est constitutionis propriũ, cum nec antea quidquam de nullitate tali vel dictum vel declaratum per Pontifices fuisset. multa enim fieri sæpè prohibentur. vt iuris habet regula, quæ tamen facta valent; ideoque si collator ordinarius reiectis post resignationẽ permutationibus istis, gratificari voluisset vel expectantibus vel aliis quibuslibet, & iis beneficia sic resignata de facto contulisset, quiritari quidem potuissent litemque mouere permutates hi sic illusi, sed ante Clemẽtinam hanc de nullitate collationis ne vel hiscere quidẽ fuissent ausi, cum summi iuris remedio destituerentur, æquitate sola freti; quæ propter circumstantias aliquas Episcopo vel alteri cuius ordinario collatori visas haud inidoneas facillimè vel obscurari vel euanescere solet: vbi nũc post istam Clementinam vel omnino recusare debet

237
Propriũ Cle-
mentina de
ver. permut.

debet ordinarius collator permutationem id est ex causa permutationis resignationem (sua nimirum retinentibus beneficia his qui permutare desiderabant) vel si semel admiserit huiusmodi resignationem, non potest aliis quàm solis permutantibus hæc beneficia sic resignata hinc indè conferre. Singulas nunc excutiamus huiusce Clementinæ clausulas.

Ait Pont. *Concessione iuris utentibus.* Intelgit Pont. permutationem rectè canonice que vel deliberatam vel conceptam vel destinatam à meditantibus eandem permutationē, sine vitio nimirum profus vlllo, solius autoritate superioris incundā perficiēdamque. nec enim sola fraus permutantiū vel mutua vel quæ fiat aliis abesse debet vt permutantes dicātur concessione iuris vti, sed omne omnino vitium. Quo in genere quæretur haud insulsè, quid si consensus eorum qui vel patronatus habēt ius vel collationis vel electionis vel institutionis vel confirmationis vel quid simile cur consentire vel dissentire possint eo quòd ipforum interfit, non fuerit requisitus in ipsa permutatione sed postea per interuallum petitus & impetratus? An permutatio confirmetur, an verò præcedere consensus debeat ita vt noua permutatione sit opus? Ac verius est, sufficere si consensus vel sequatur. DD. ad c. cum consuetudinis. de consuetud. & ad cap. unic. de rer. permutat. in 6. quò pertinebat etiam quæstio superius ad cap. cum olim. in verb.

238
Consensus eorum quorum interest an præcedere debeat, an sufficiat si sequatur.

Resignavit disputata de validitate vel inualiditate permutationis factæ præteritis illis quorum consensus requiritur & qui nulla ratione volunt vnquam consentire; permutationem videlicet nihilominus ipso quidem iure valere, sed esse rescindendam.

239
Beneficia Ec-
clesiastica ve-
rè proprièq;
esse spiritua-
lia. Et non
tantum spiri-
tualibus an-
nexa.

Ait Pont. *Præsertim circa spiritualia*. Singulariter est hinc obseruandum, beneficia ecclesiastica nominari & esse spiritualia; non solum quòd eorum titulus quid spirituale sit, d. c. dilecto. de præbendis, qui datur propter officium diuinis in rebus, c. ult. de rescriptis in 6. verumetiam quòd in bonis temporalibus quidem sed ipsi Deo vel Ecclesiæ Christi donatis & collatis atque dicatis consistat. Attamen quia fructus ipsi beneficiorum sunt merè temporales & in commercium cadunt, plerique beneficia referunt inter annexa dumtaxat spiritualibus. fortè non omninò solidissimè, nam non tam fructus ipsi vel prædia ex quibus fructus percipiuntur spectari debent in beneficiis ecclesiasticis rectè diiudicandis, quàm ius ipsum seu facultas fructuum & emolumentorum talium percipiendorum; iuxta definitionem paulò superius à nobis traditam: quod quidem ius, merè spirituale quid esse nemo negauerit. Rectius itaque cum summo Pont. vel cum generali verius Concilio Viennensi beneficia quæuis ecclesiastica spiritualibus ipsis rebus adnumerabimus.

Ait Pont. *Ne illudatur*. Cùm in omnibus omnino contractibus & hominū conuentio-
nibus

nibus agendum est sincerè, candidè, bonaque fide, tum spiritualibus in rebus vel maximè; quandoquidem non religio seu conscientia tantùm priuata vertitur verumetiam diuinus agitur cultus, vbi frustratio, dolus, impostura, deceptio, duplicitas omnis non potest nõ esse sceleratissima; cùm facinora tantò sunt maiorã quantò vel is in quem perpetrantur est aut maior aut in delinquentes beneficentior ac liberalior, vel res quæ violantur sunt sanctiores atque diuiniore aut spirituales magis. Exempla Glossographus aliquot adfert aliundè, videlicet ex Clement. vlt. s. de renunc. & ex c. vlt. de postul. & ex c. ne quid. 22. q. 2. & ex c. excommunicatorum. 24. quæst. 5. Quibus hic immorari nunc operæ precium non est: ad grauiora quæstionum hûc pertinentium genera properemus.

Ait Pont. *Si qua beneficia*: Dicebamus ad Bonifacianam verbo *Beneficia* quàm ægrè beneficiorum inter sese fuerit admissa tandè permutatio, nedum beneficij cum hospitali vel alio quopiam iure spirituali tanquam in commercium per sese non cadente. Quid igitur est sentiendum de permutatione iuris alicuius omnino spiritualis cum re prophana? Certè multò minus erit admittenda; quandoquidem iuris est clarissimi, spiritualia cum temporalibus permutari non posse c. vlt. de rer. permutat. propter simoniæ labem talibus in permutationibus apertissimè sese prodentem: Quo fit vt nec hospitale seu domus religiosa cum

i iiij domo

240
Sincerè cum-
ctus in rebus
agendum, præ-
cipuè tamè in
spiritualibus.

241
Pro persona-
rum & rerum
qualitate por-
derari delicta

242
Spiritualium
cum profanis
nulla permu-
tatio.

243
 Hospitalis cū
 domo priuata,
 permutatio.

domo quapiam priuata (laicorum nempe domicilio) siue ad laicos pertinente siue ad Ecclesiam aliquam, permutari vllō modo possit sine vitio simoniæ quātūlibet ambo permutantes eam permutationē cum primis optarēt perfici. Contingit his interdum temporibus vt partim per hæreticorum partim per militum grassationes Monachis vel Religiosis ruri degerere periculosum sit, qui domos suas priuatas in vrbibus & intra mœnia sitas neq; tamen satis amplas nec ipsorum capaces desiderant permutare cum hospitalibus quibusdam tum capacioribus tum sibi multò cōmodioribus; idque reluctantibus hospitalariis vel aliis quorum tale quid fieri plurimū interest: Quæritur an propter bonum publicū Princeps temporalis, vel Episcopus etiam loci, possit hanc imperare perficique curare permutationem? Ac de iure respondendum videtur, nullo modo posse; sed hoc totū solius esse Summi Pontificis; Clement. 2. in princ. de relig. domib. vbi non tantū Glossographus verum etiam contextus ipse soli reseruant Pontifici mutare vel, vt Glossographus ibi loquitur, alterare consuetum talis religiosæ domus vsum in alium quemcumque; quātūlibet consentientibus etiam partibus. Quæ quidē Clementina per Cōcilium quoque Tridentinum sess. 7. cap. reformationis 15. fuit renouata. Quinimmo generaliter idem Concilium sess. 25. reformat. 8. præcipit ad amissim obseruari fundationes antiquas iuxta primum suum institū.

224
 An Princeps
 temporalis vel
 etiam Episcopus
 loci possit
 mutare pias
 fundationes
 in alios vsus.

stitutum quatenus vlla ratione fieri poterit, iussis Episcopis obseruari curare quidquid à fundatoribus expressum fuerit. Quæ omnia tantò iustiùs obtinere debent quantò fundationes oppidanæ sic per exteros petitiæ depræhenduntur antiquiores fortè foundationibus eorundem petentium; Nam quantò verustior & antiquior est aliqua Religio seu religiosus ordo, tantò simul est fauorabilior cap. ult. de religiosis domib. nisi fortè degenerarent antiquiores, & noui singulariter essent Ecclesiæ labenti vel vtilis vel necessarij; sicut hac tempestate Patres optimi Societatis nomine IESV, quorum institutis equidem lubenter illud accommodauiero *Concedant antiqua nouis*. Porro ne prophanis quidè in rebus à testatorum seu fundatorum voluntate temerè recedendū est, nisi vel id quod illi voluerunt commodè perfici non possit vel cōiectura quæpiam voluntatis eū vtilitate publica concurrat: quibus casibus adhuc non aliter quàm solius autoritate supremi Principis id permittitur l. 1. & l. 4. ꝛ. de administr. rer. ad ciuitat. pertin. & l. ult. ꝛ. de operibus publicis & l. legatum. ꝛ. de vsufr. legato. facit eòdem cap. tua nobis. de testam. & ibi Panorm. num. 4. & Couarr. numer. 7. & Auth. de Ecclesiast. titu. §. si quis autem pro redemptione captiuorum. qua de re nos quoque plura diximus in Commentario de iure exequendi testamenta nume. 42. Caterum non male notauit Glossographus hic noster ad hanc vocem *Beneficia*,

i v rectè

245
Antiquarum
foundationum
obseruatio per
Concil. Tri-
dēt. præcepta.

246
Societas no-
minis IESV
religionibus
antiquis præ-
ferenda.

247
Profanis in
rebus à testa-
torum volun-
tate quatenus
recedi possit.

248
Hospitalia
quatenus cum
beneficiis per-
mutari pos-
sint.

249
Res tum spi-
rituales tum
prophane seu
temporales
quomodo per-
mutentur quo-
ad eam pro-
prietate per-
petuam.

250
An res diuer-
si generis in-
ter sese permut-
entur.

rectè permutari cum beneficiis hospitalia illa quæ in beneficia conceduntur, qualia recitantur *J. de religiosis domib. d. c. 2. §. vt autem.* eo quòd sint instar beneficiorum; alia verò hospitalia nequaquam; cum beneficiorum dumtaxat inter sese permiffa sit permutatio, quatenus de clerici titulo quæritur. Sin de rerù ipsarù proprietate perpetua inter veros dominos permutanda quæritur, vt si duo monasteria vel aliq̃ duq̃ Ecclesiæ duas Parœciales Ecclesias hinc inde sibi subiectas, vel duos Prioratus, vel alias domos religiosas, inter sese velint permutare, dubiù non est quin vt spirituale cum spirituali sic etiam tēporale cum temporali permutari possit iuxta c. ad quæstiones. de rer. permut. Sed in hoc genere quæritur, an vt iure Pontificio valeat rerum ipsarum inter se permutatio, necessarium sit vt res illæ sint eiusdem vtrinque generis, vt pote calix pro calice, domus pro domo, Ecclesia pro Ecclesia, sicuti de permutatione beneficij præcisè cum beneficio diximus, an verò generis quoque diuersi res inter sese permutentur, veluti calix pro casula, vel aliis vestibus quibuscumque sacris. Ac verius est, permutationem in rebus diuersi quoque generis consistere, quemadmodum per iura ciuilia rectè scyphus permutatur cum Sticho vel cum libris vel rebus alijs, vt & vinum cum bobus l. naturalis. in princ. vers. sed si scyphus. *π. de præscriptis verbis. & §. item pretium. in fin. Instit. de Empt. & vendit. dūmodo res prophane non dentur pro sacris, vt iam*
scipius

sæpius est monitum ex c. ult. de rer. permut. Quamobrem fundus cum domo vel re qualibet alia rectè permutabitur, & quidem cum iure simul incorporali, nimirum seruitutis allicuius, vt exempli causa, suppeditandorum alimentorum. Vnde sequitur vt si quis fundum suum ex causa permutationis monasterio cuiuspiam dederit vt vicissim quamdiu vixerit alatur à monasterio, iusta censeatur hæc permutatio fundi cum alimentis; adeò vt etiãsi fundus ille monasterio postea vel chasmate vel aliter perierit absque culpa huius permutantis & citra ius euictionis, alimenta nihilominus debeantur; cum fundus fuerit iam monasterij proprius, ipsique soli non autem huic alimentario perierit, vt optimè Cynus adnotauit ad l. 2. C. de iur. emphyt. & ex eo Siluester Prieras in sua Summa verb. *Permutatio* in genere.

quæst. 4. Quid igitur de permutatione hospitalis cum iure patronatus, vel alterius iuris allicuius Ecclesiastici cum altero iure Ecclesiastico diuersi generis opinabimur, valebitne permutatio? Sic videtur, ex iure iam nunc explicato. Cur igitur, inquis, non æquè beneficium permutari potest cum alio iure spiritali, veluti cum iure patronatus, vel cum decimarum collectione, vel cum hospitali, vel cum alio aliquo iure simili? vel cur præcisè beneficii cum beneficio requiritur permutatio? Quia clericis de titulo perpetuo seu sustentatione sui certa quod vixerint prouisum consultumque debet esse, seu quod idem est, clerici certis adscribi

251
Res corporalis cum incorporali permutatio, veluti fundi cum seruitute.

252
An res aliæ spiritalis diuersi generis, vel eiusdem, possint inter se permutari.

253
Ratio visua cur beneficium nequeat permutari cum villo alio iure spiritali quæ cum solo beneficio.

adscribi debent Ecclesiis ad cultum diuinum exercendum & ad Ecclesiastica munia obeunda, certis in hoc ab Ecclesia stipendiis prouidè constitutis, ne vel victus quærendi necessitate laborâtes, vel rebus externis impediti, diuinis desint officiis: qualia stipendia perpetuis quidem temporibus duratura sed nunc huic nunc illi clerico quamdiu vixerit in titulum concedenda nusquam vel inueniuntur vel sunt alibi quàm solis in beneficiis ecclesiasticis. Itaque si talia permutarentur cum cæteris aliquibus ecclesia bonis quæ nõ in titulum seu perpetuum stipendiũ sed ad breuè dumtaxat vel incertum tempus alicui priuatim subinde concedantur, contingeret vt clericus in sacris constitutus titulo tandem careret & cõtra Canones omnes necessaria vitæ sustentatione destitueretur, id quod Ecclesiastica legislatio nulla ratione patitur, tum propter causas modò memoratas, tum quòd minimè deceat eos qui diuino ministerio sunt adscripti, cum ordinis dedecore mendicare vel sordidos aliquos exercere quæstus. Adeò vt si quis ab Episcopo fuerit ad sacros promotus ordines absque tali vel titulo vel stipendio ad vitam honestè tuendam sufficiente, talis Episcopus vel eius etiam Successor teneatur de suo prouideri tali ordinato donec eidem de competenti seu sufficiẽti fuerit beneficio prospectum cap. cum secundum Apostolum. de præbend. & Concil. Trident. sess. 21. reformat. 2. quo loco Sacrosancti Patres iustissimis de causis prohibuerunt ne quis vnquam

254
Stipendium certum idemque perpetuum cur clericis constitutum debeat.

225
Sine titulo quis promotus. i. ordinatus?

vnquam clericus beneficium suum ad cuius titulum fuit ordinatus resignet, nisi constiterit eum aliundè satis commodè viuere posse, & vt alioqui resignatio sit ipso iure nulla. Quare cum nec hospitalium in beneficia dari minime solitorum præfectura, nec beneficia manualia seu præstimonialia, nec decimarum collectio, nec vlla similia iura cuiquam concedantur ab Ecclesiis in perpetuum seu ad vitam, sed instar tutelæ vel curæ dumtaxat ad tempus, d. Clementina 2. §. vt autem. de relig. domib. non est mirum si beneficia cum talibus permutari nequeant. Posui solam decimarum collectionem, quæ potest & laicis committi, quod alioquin ipsæ decimæ, sicut & primitiæ, & oblationes, & sepulturæ, sint pars quædam ipsorum beneficiorum; de quali parte cum beneficiis permutanda non satis aptè quereretur cum beneficia diuidi non debeant c. maioribus. de præbend. Eodemque modo, de collectione nimirum decimarum, sumi debet quod ad Bonifacianam verb. *Beneficia* de permutatione beneficiorum cum decimis quærebatur. Atqui patronatus ius est, inquis, perpetuum; cur ergo cum beneficiis permutari nequit? quia non datur in titulû beneficij vnde quis viuere possit, sed absq; magnis emolumentis plerumque solius honoris causa competit etiam laicis vt ac tanquã vel fundatoribus, vel dotatoribus, vel restauratoribus; qui tamè subinde propter ægestatē debent ab Ecclesiis ali. quæ quidē res nihil habet cum beneficiis Ecclesiasticis commune.

256
Tituli alienatio quatenus
Cõcilio Trid.
prohibita.

257
Hospitalia, manualia, præstimonialia, decimæ, cur cum beneficiis non permutantur.

258
Ius patronatus, cur iure non.

259
*Patrimonij
 titulus loco
 beneficij cur
 nequeat per-
 mutari cum
 beneficio.*

260
*Beneficia ec-
 clesiastica du-
 plici nomine
 dici & esse
 perpetua.*

Quid si quis igitur sub patrimonij sui titulo fuerit ad sacros promotus ordines, ad quod etiam iure nouissimo certis casibus permittitur iuxta Concil. Trident. sess. 21. reformat. 2. nunquid admittetur eius tituli (fungentis vice beneficij) permutatio cum ecclesiastico beneficio? Beneficia Ecclesiastica duplici nomine debent esse perpetua, primum absolute & per se, nimirum fundatione quadam in perpetuis ipsius Ecclesie bonis consistente remanenteque, deinde respectu singulorum possessorum duratione quadam stabili ad cuiusque possessoris usque vitam: quorum duorum prius quonia deest patrimonio seu titulo patrimoniali, necessariè fit ut nullo modo permutatio ni sit hic locus. quò facit & alia ratio prægnantior, quòd beneficiarius ille qui patrimonium alterius pro beneficio suo consequeretur ex causa permutationis, nihil reuera depræhenderetur habere mortuo altero cuius id patrimonium fuerat, ut potè quod mox ad heredes eiusdem reuerteretur, ut ad Ecclesiam nõ pertinens; immò simulatque illi qui sub titulo patrimonij sumpsit sacros ordines aliundè prospectum fuerit de beneficio Ecclesiastico vel aliter, istud patrimonium exoneratur, & ad pristinam redit naturam, ita videlicet ut possit alienari. d. reformat. 2. Quibus accedit quòd nemo sit in tali casu collator ordinarius qui permutationem talem posset effectui dare, cum patrimonium hoc in collatoris vllius potestate non sit, ne volente quidem eo cuius est

patri-

patrimonium, nisi prius in rebus laicis id esse
desisset & in beneficium Ecclesiasticum legi-
time canoniceque conuersum fuisset. Quid
multis? Patrimonium si daretur ex causa permu-
tationis pro beneficio, temporale scilicet pro
spirituali, vera manifestaque foret simonia. Cur
autem pensiones (quæ tituli quoque fungun-
tur vice, sicut patrimonium, d. reformat. 2.)
permutari cum beneficiis nequeant, quatum-
libet plus habeant affinitatis cum beneficiis,
vt ex quibus delibantur, quàm patrimonium
verè mereque laicum, ratio est in promptu;
Pensiones enim defuncto pensionario mox re-
deunt ad sua beneficia vnde delibabantur, tan-
quam ad suam naturam, & cum eis coalescunt
& absorbentur & intercidunt: ideoque nihil
inuenirent viri diuitiarum suis in manibus qui
beneficia sua cum talibus pensionibus permu-
tassent. Iam si pensiones illæ quæ vel resignan-
tibus vel aliis assignantur subinde, creari quo-
que possent super patrimonio debitoris, non
ecclesiasticum quid essent sed omnino prophana;
quale quid cum beneficio ecclesiastico
citra manifestissimam simoniæ labem permu-
tari non posset, nõ magis quàm patrimonium
ipsum. Verùm pensiones beneficiales inter per-
mutantes ita constitui non posse superius o-
perose docuimus ad c. cum olim. sub finem,
ante singularum scilicet clausularum enuclea-
tionem. Quæ sola causa facit vt plerique qui-
bus interdum propter beneficij resignationem
pensio creari debet, eam non super debitoris
vel

261

*Pensiones loco
tituli cũ sint,
cur permutari
cum beneficiis
nequeant.*

262

*Pensiones Ec-
clesiasticas
nõ posse super
eius quã Pa-
trimonio vel
cautione per-
sonali rectè
constitui.*

vel

vel cuiusquam alterius patrimonio prophano, nedum sub obligatione personali seu fideiussoria, sed super Ecclesiis vel monasteriis aliisque domibus religiosis vel piis creati curent, quando vident sese impetrare non posse ut ipsa beneficia grauentur. Ergo quid si pensiones ita constitutæ fuerint ut periclitari non possint quamdiu vixerit ille cui pro beneficio ceduntur? ecquid permutatio valebit? nullo modo; quia perpetuitas priore modo sumpta, in illis non est, nec officia clericalia sunt illis annexa, nec per eas Ecclesiæ cuiquam certæ quis est adscriptus, id quod in beneficiis propriè dictis omnino requiritur. Quamobrem qui sub titulo patrimonij vel pensionum promouentur ad sacros ordines, beneficiarij per hoc non sunt.

263
Pensiones perpetue periclitari nequeunt, cur tamen cum beneficiis non possint permutari.

264
Beneficiarij.

265
Sacre res spirituales quomodo possint sine ullis rationibus in commercium venire.

266
Spiritualium rerum varij gradus.

Cæterum nouus hic & propemodum terribilis exoritur scrupulus ex eo quod spiritualia cum spiritualibus rectè permutari diximus; nam si res huiusmodi sacræ nõ cadant in commercium, sicuti vel prophanis docemur legibus, l. in tantum. §. sacræ. π. de diuisione rer. & qualit. l. æde sacra. 73. π. de contrah. empt. & vendit. l. inter stipulantem. 83. §. sacram. π. de verb. obligat. & §. nullius. Instit. de rer. diuis. quantò iustius hoc iure Pontificio res illas vel sacras vel spirituales ab istis nundinationibus oportet esse remotas & immunes? Ad huc scrupulam dexterius eximendum, necesse fuerit rerum spiritualium diligenter intueri & interno scere varietatem, qua in re magistro vix
ullo

ullo poterimus vti meliore quam D. Thoma Aquinate, viro tū naturaliter acutissimo, tum diuinitus illustrato, qui suis in Commentarijs in lib. 4. Sententiarum dist. 25. quæst. 2. art. 1. spiritualia tripliciter distinguit seu tres facit spiritualium gradus. Nam quædam sunt, inquit, purè spiritualia, vt gratiæ & virtutes: alia annexa & coniuncta rei corporali quæ ex hac vnione sacra efficitur, sicut Ordines in exterioribus ritibus corporalibus qui sunt sacri, & Character collatus per corporale ablutionem: alia sunt spiritualia annexa corporalibus, manentibus corporalibus sacris, vt consecratio calicis & ius patronatus in aliquo fundo. Prima, nec de iure nec de facto possunt vèdi; quia non est in potestate hominis ea dare: Secunda possunt vendi de facto, sed non de iure; & hoc est, quia facta corporalia (in quibus datur spiritualia) venduntur; de iure tamè neutrum vendi potest: vltima verò, quantum ad id quod est corporale ibi (etiam cum manet sacratū) possunt vendi, & transit spirituale cum corporali; sed quantum ad id quod est spirituale, vendi non possunt, vnde si ratione spiritualis plus (id est pluris) emeretur vel venderetur, vel principaliter spirituale intèderetur emi vel vendi, simonia cōmitteretur. Hæc ille; quem latius explicat, & quidem luculenter explicat, Nauarrus in manuali suo Confessariorum cap. 23. num. 99. & seqq. vbi de Simonia disputat. quin & ipse D. Thomas plenius explicat semetipsum in Summa sua Theologica 2. 2. quæst. 100.

267
D. Thomæ
Aquinate
præstantia.

268
1. Spiritua-
lia purè vel
essentialiter.

269
2. Spiritua-
lia instrumen-
taliter.

270
3. Spiritua-
lia constitui-
uè vel anne-
xiuè.

1.

2.

3.

1.

2.

3.

1.

2.

3.

1.

2.

3.

1.

2.

3.

1.

2.

3.

k art. 1.

271

*Torum trium
raduum dis-
crimen.*

art. 1. & seqq. ac præcipuè 4. art. Quibus ex lo-
cis omnibus pariter coniunctis intelligimus,
gradum primum spiritualium consistere solis
1 in iis quæ per sese purè, simpliciter & absolu-
tè, seu substantialiter, & vt nostri loquuntur,
essentialiter, sunt spiritualia; sicuti septem do-
na Sancti Spiritus, & Charismata seu gratiæ,
2 virtutesque diuinitus infusæ: secundum gra-
dum esse rerum quidem spiritualium, attamen
minimè per sese, sed per causam, vel vt nostri
loquuntur causatiuè vel instrumètaliter; qua-
lia sunt sacramenta per quæ tanquam per in-
strumenta quædam nobis dona Dei superna-
turalia conferuntur, quæ duo priora spiritua-
3 lium genera immediatè ex Dei solius institu-
tione sunt spiritualia. Tertium deniq; gradum
esse spiritualium nec essentialiter nec instru-
mentaliter nobis ab ipso Deo immediatè reli-
ctorum, sed ab Ecclesia Christi secundum po-
testatem supernaturalem sibi diuinitus à Chri-
sto concessam destinatorum & institutorum
ad finem tum cultus diuini rite debitæque &
quidem sanctiùs ac reuerentiùs exercendi tum
salutis animarum nostrarum cõmodiùs pro-
uehendæ; qualia sunt omnia quæ prioribus
duobus rerum spiritualium generibus annexa
sunt, & à nostris destinatiuè vel finaliter vel
statutiuè. i. per statutum Ecclesiæ spiritualia
dicuntur; vt sacramentalia, quæ dicuntur, & eis
4 annexa, nimirum sacramentorum conficien-
dorum & administrandorum ritus, Ecclesia-
rum & suppellectilium Ecclesiasticarum conse-
cratio-

272

*Varia acmul-
tiplicia exem-
pla annexorū
spiritualibus.*

craciones, Ecclesiastica beneficia, ius patronatus, aliaque id genus. quibus ibidem Nauarrus adnumerat aquæ baptismalis & lustralis benedictionem, exorcismum, catechismum, beneficiorum Ecclesiasticorum collationes, renunciationes, & similia. pertinere reor eodem solènes benedictiones cereorum, ramorum palmarum, granorum rosarij, Agnorum Dei, panum, campanarum deniq; vel aliarum rerum, quin & Sanctorum canonizationes, cum reliquiis eorundem. Quod quidem tertium postremumque spiritualium genus in duos rursus gradus aptè subdistinguitur, quandoquidem alia plus habent spiritualitatis (vt ita cum nostris loquamur) & minus corporalitatis, & à spiritualibus omnino dependent; vt Ecclesiastica tum beneficia tum officia, quæ non Christiano cuiilibet sed solis competunt clericis vt hominibus diuino cultui singulariter destinatis: Alia verò plus habent corporalitatis vel temporalitatis, minus autem spiritualitatis, & à spiritualibus non dependent sed ad spiritualia duntaxat ordinantur seu referuntur, & ordine temporis vsum spiritualium præcedunt, & in hominis cuiuslibet Christiani quantumlibet non clerici sed laici possunt esse quadamtenus potestate, sicuti sunt ius patronatus, iura sepulturarum, calices, & alia vasa sacra, cum vniuersa supellectili sacra; quæ subinde priuatorum est, non clericorum solorum sed & laicorum sacella vel domi suæ vel in publicis Ecclesiis habentium. qualia spiritualia laicis etiam

273

*Spiritualia
per annexio-
nē b'fariam
subdistingui.*

274

*Annexa de-
pendenter.*

275

*Annexa an-
tecedenter.*

276

*Res quedam
sacra priua-
rum qua-
damtenus.*

communia licet in iure nostro quādoque nominentur spiritualibus annexa, c. de iure. 16. de iur. patronatus, tamen antecedenter tantum non autem consequenter neque dependenter (vt Nauarrus loco prædicto loquitur) sunt annexa spiritualibus. Ea quæ sunt generis prioris, vendi quidem nūquam possunt citra simoniæ vitium; permutari tamen possunt, non promiscuè quidē sed certis legibus & inter solos clericos vt ac tanquam eorum capaces; ea verò quæ sunt posterioris generis, vendi possunt iuxta D. Thomæ distinctionem quoad vel temporalitatem vel corporalitatem seu materiam, alioqui non; multo quæ magis permutari possunt, non inter clericos tantum sed & inter clericos & laicos, vel etiam inter solos laicos; ita tamen vt si de conuertendis iis in vsus profanos ageretur, solennitates iuris essent obseruandæ; veluti pro redemptione captiuorum, vel alendorum in fame pauperum gratia, calix etiam consecratus vendi posset interueniente confractioe vel alioqui refectioe quadam Pontificali, quemadmodum legibus etiam ciuilibus probatur d. l. inter stipulantem. §. sacram. in verbis. *Si rursus lege aliquares sacra profana esse cœperit.* & l. continuus. 127. §. cum quis sub hac conditione. in verbis. *Nec ad rem pertinet quod ius mutari potest.* π. de verb. obligat. & idem D. Thomas approbat d. art. 4. in respōsione ad argumentum secundum; qui tamē solius meminit confractioe vel cōflationis (vt & c. ea enim quæ.

§. I.

277
Rem sacram
duobus modis
posse fieri pro-
fanam; con-
fractioe, &
refectioe.

§. 1. 10. q. 2.) & non resecrationis re integra manente seu formam suam retinente dum reuocatur in vsus prophanos. verum de resecratione degradationi similima nos plura diximus in Antiquitatibus nostris Ecclesiasticis in Syntagmate de iure prouentuum Ecclesiasticorum ad c. 2. de testam. nu. 34. & seqq. vbi docuimus & Monachos Deo votos atque consecratos posse per Summi Pontificis ita dispensantis resecrationem desinere esse monachos, cum characterem non imprimat monachis Professio monastica, sicut imprimat Sacerdotalis ordo Sacerdotibus (vt & Ordines alij ordinatis aliis) qui nunquam desinunt esse Sacerdotes etiam si degradarentur. c. quod quidam. §. si forte. & §. degradatus. 1. quaest. 1. Caeterum praeter hos tres rerum sacrarum & quidem etiam spiritualium gradus reperitur & quartum quoddam genus rerum non quidem spiritualium proprie dictarum sed sacrarum nihilominus, vel in perpetuum Deo vel Ecclesiae dicatarum, citra consecrationis vtz vllius interventionis; qualia sunt praedia resq; similes & mobiles & immobiles & corporales & incorporales & animatae & inanimatae quarumlibet Ecclesiarum: tales enim res adnumerari sacris rebus, & in iis per sese etiam solis committi sacrilegium, quauis non simonia, eo quod spirituales non sint, docemur ex c. nulli. & c. praedia. 12. q. 2. Quod & ipse D. Thomas agnoscit 2. 2. quaest. 99. artic. 3. Quales quidem res licet ex natura sua per se (quod consecratae non

278
Resecratio
nostris igno-
ta.

279
Monachus
potest fieri no
monachus.

280
4. Res sacrae
quarta seu ge-
neris seu gra-
dus, vt fundi
similesq; res
Ecclesiarum
perpetuae.

k iij sint

fint sed per significationem remotiorem sacre dicantur propterea quòd dicatæ sint Ecclesiis) veniant in commerciũ, prudenter tamen cautum iure fuit ne citra singulares quasdam solennitates alienarentur tot. tit. de Rebus ecclesiæ alien. vel non. Reperitur & quintum rerum Deo vel Ecclesiæ deiquæ ministris aut etiam pauperibus obuientium genus, quæ nõ nisi ad breuissimum tempus quasi ad momentum sacre quodammodo dici possunt, sed remotissima quadam rerum sacrarum sumptione; quales esse constat species Deo vel Sanctis in vsu aliquos pios in templis oblatas, nõ vt illic perpetuò maneant, vel vt per sese seruiant ipsis Ecclesiis in sua natura, sed vt mox auferantur atque distrahantur, pecuniis inde confectis. Qualia quin promiscuè subijciantur commerciis hominum dubitari non potest; non magis quàm de fructibus & prouentibus Ecclesiarum cæteris, dequæ pecuniis earundem, vel etiam de pecuniis in oblatione sacram venientibus: quæ omnia simulatq; placuerit insumi, nõ secus atque verè merequæ prophana commercio promiscuo subduntur (vt vel ipsa declarat euidencia rerum) quantumlibet interim donec abalienentur sacra censeantur c. habebat. & cap. Episcopi. 12. quæst. 1. Nec mirum, quando & hominum priuatorum pecuniæ vel res in loco sacra propter securitatem depositæ, si subtrahantur, sacrilegos efficiunt. c. quisquis. vers. similiter. 17. q. 4. & l. aut facta. §. locus. n. de pœnis. coniuncta l. Diui. n. ad l. Iuliam pecula-

281

3. Res quedã
sacra remo-
tiss. significa-
tione, vt res
oblata, pecu-
nia, fructus,
&c.

282

Sacrilegium
atiã in ro pro-
phana in loco
sacro deposi-
ta.

peculatus & de sacrilegis & de residuis. Sed hæc de quinque rerum partim spiritualiū partim sacrarum vel certè pro sacris habitariū vel generibus vel gradibus crassiore quidem filo sed haud infructuosè (sicuti spero) contexta sint hæctenus; ex quibus operam demus vt eximatur tandem scrupulus iste tam terribiliter nobis iniectus, quī nempè fieri possit vt sacræ res immò & spirituales, veniant in commercium vel vt spiritualia permutentur cum spiritualibus aliis, contra leges etiam prophanas & contra Regulam Põrificij simul iuris ita lib. 6. dictitantem, *Semel Deo dicatum non est ad vsus humanos ulterius transferendum*; adeò vt etiam si corruerit dirutumue fuerit ædificiū sacrum, locus nihilominus maneat sacer. d. l. in tatum. §. sacer. 7. de diuis. rer. & qualit. Quo fit vt ne detrita quidè sacra supellex ad vsus prophanū possit instaurari vel interpolari iuxta Gloss. atque DD. in d. Reg. *Semel Deo dicatum*. ex c. ligna. & c. vestimèta. De consec. dist. 1. Quidnam dicemus? Equidem conformiter superioribus respondendū puto, nihil illa iura in contrarium allata nobis aduersari; quia loquuntur de non ferenda permittèdæue rerum sacrarum translatione ad vsus prophanos deque cõmerciis earundem rerum promiscuis inter quoslibet: Nos autem non de rerum spiritualium in vsus prophanos conuersione loquimur (quod tamen nonnullis casibus permittitur, vt modò fuit ostensum) sed de sola rerum spiritualium permutatione inter se; non quidè vt vel pro-

k iiij phanæ

283^a

Eximitur tandem scrupulus, quatenus & quomodo res illæ spirituales veniant in cõmerciū.

284

Etiam detrita sacra supellex nõ potest in vsus prophanos interpolari.

285
Permutatio
spiritualium
nō obstat Re-
gula Semel
Deo dica-
tum.

286
Permutatio
spiritualium,
ut & benefi-
ciorum, im-
propriè dici-
tur Contra-
ctus permuta-
tionis.

287
Gammarius
qui de permuta-
tionibus benef.

288
Do ut des
facio ut fa-
cias.

phanæ fiant vel spirituales esse desinant, vel hominibus laicis applicentur, sed ut functionē suam retineant, quantumvis possessorem seu mutantem seu nouū sortiantur, id quod Ecclesiis frequenter est utilissimū. Neque verò promiscuè quoslibet super iis fieri posse contractus asserimus, emptionē certè super spiritualibus nunquam (ne Simon sit in fabula) sed canonicam solemnemque duntaxat permutationem: quæ tamen ipsa permutatio non tam verus est contractus ex nuda solarum partium voluntate dependens, quàm commutatio quædam vel potius rerum translatio superioris nutu facta, mutatis, uti dicebā, possessoribus. Quamobrem & ipsa beneficiorum permutatio profusū impropriè dicitur permutationis contractus, cum permutantium partes in illa vix vllæ reperiantur, ut post alios quosdam veteriores Interpp. obseruauit Petrus Andreas Gammarius de Casali Bononiensis in Tractatu suo permutationum seu in Repetitione cap. vnici de rerum permutatione in 6. ad Rubricam num. 75. sub finem, & in explicatione ipsiusmet cap. num. 9. & alibi passim. Quo fit ut nonnulli non contractum permutationis hic agnoscant sed vel contractum *do ut des* vel potius contractum *facio ut facias*, id est, resigno ut resignes. Quanquam ne sic quidem verè contractus duci potest omnino liber & absolutus, cum totus pendeat ex approbatione superioris, non autem ex nuda contrahentium voluntate. Quo quidem in approbationis genere,

nere, quæstionis est haud ociosæ nec inutilis, an tacita vel simplex approbatio superioris, absque vel resignationis vel collationis vllius interuentione, sufficiat? veluti superiore dicente, *Placet mihi vestra permutatio, transite alter in alterius locum*, neque defunt graues auctores inter quos & ipse putatur esse Pont. Max. Innocentius IIII. (attamen ante Pontificatum, ne quis eius autoritate moueatur) in c. inter cætera. de præbend. qui talem defendant approbationem, quasi cui tacita quædam insit collatio; quemadmodum fit in sub-
stit. pupill. vbi tacita vulgaris inest expressæ pupillari, & vice versa, l. iam hoc iure. ꝛ. de vulg. & pupill. subtit. In cuius rei argumentum facit & hoc quòd iuxta Ioann. Andr. & Cardin. Host. traditionem ad cap. ex ore. de his quæ fiunt à maio. part. cap. valeat beneficij nondum clarè manifesteque vacantis collatio per Episcopum facta cuiquam alteri de consensu beneficiarij, seu veri possessoris; eò quòd & hic tacita quædam censeatur interuenisse tum possessoris huius renunciatio seu resignatio tum Episcopi acceptatio. Verùm quia summè curandum semper est ne vitiosus ad Ecclesiastica beneficia detur ingressus, & maturissimè religiosissimeque talibus in rebus versari conuenit, & hanc nostram Clementinam sic loqui videmus vt apertam requirere videatur & resignationem & collationem (dum per alios permutare volentes resignata ponit beneficia quæ tamen aliis de
k v facto

289
Simplex approbatio superioris an sit instar collationis.

290
Tacite substitutiones.

291
Tacite collatio.

facto non de iure conferantur) rectius illos existimo sentire qui claram & expressam volunt adhiberi tum resignationem seu renunciacionem tum collationem; quod & Host. in d. c. ex ore. iudicat esse tutius, & Senensis consuetudine seruari scribit in memorato suo tractatu de permutat. quaest. 27.

292
Beneficia di-
uersi generis
recte permutari.

Cæterum quod inter superiora diximus de beneficiis cum solis beneficiis, nõ autem cum spiritualibus aliis rebus vllis inter sese permutandis, licet alia spiritualia diuersi generis inter sese permutentur, non sic est accipiendum, quasi beneficia quoque permutanda necessario prorsus esse debeant eiusdem generis vel qualitatis: possunt enim beneficia simplicia permutari cum dignitatibus & pastoratibus, & vice versa, dummodo capacitas personarum non desit. qua de re plenius consule Ioannem Seluam parte 3. sui tractatus de beneficio quaest. 54.

293
Vnius beneficii cum pluribus permutatio.

Quandoquidem beneficiorum nomine comprehenduntur omnia talia dignitatum & curarum ecclesiasticarum genera, sicut ex beneficii definitione patuit. Nec præcisè vnius beneficii cum vno beneficio tantum permittitur permutatio, verumetiam beneficii vnius cum pluribus beneficiis & beneficiorum plurium cum vno beneficio, si modò capacitas personarum & hic adfit. id quod Interpp. nostri latè prosequuntur ad c. cum venerabilis, de except. & *Rebuffus* in sua praxi beneficiali parte 3. tit. de permut. num. 40. Sed hic non importunè queritur, an si quis plura possideat benefi-

294
An expressio plurium bene-

beneficia, quorum dumtaxat vnum permutare desiderat cum alio quopiam, necesse habeat etiam hoc in permutatione exprimere, nimirum se adhuc aliud habere beneficium vel alia beneficia. Dubitandi causam præbet quòd ad obtinendum non motu proprio sed per preces aliquod beneficium ecclesiasticum necesse sit palam profiteri, & apertè exprimere si quod aliud is iam habeat beneficium quantumlibet exiguum, qui nouum postulat; ne propter obreptionis vitium fructu careat impetrationis. Quod non indistinctè tamen intelligitur de quibuslibet collatoribus beneficium cõferre rogatis, at solo de Pontifice vel eius legato per preces adito, Clement. vlt. de officio iud. ord. iuncto c non potest dispensatio. in princ. & c. si motu proprio. de præbend. in 6. nam coram ordinario collatore talis expressio non est necessaria; quamobrem quæstio proposita planè cessat in permutantibus coram ordinario; sed in permutantibus autoritate summi Pontificis aut Legati Pontificij poterit huic locus esse quæstioni. Cur ita tandem? quia & ambitio tum per sese tum in ordinariorum præcipuè præiudicium adhibita semper est odiosa, & è cõtrario ius ordinariorum cum primis est fauorabile. Quibus adde, quòd quantò maior est Pontifex & eius Legatus Episcopo vel aliis collatoribus, tãtò magis peccet qui quid cum vel eius Legatum celat, ideoq; maiorem quoque mereatur pœnam. Quidnã igitur ad quæstionem propositam commodè respondebitur?

ficiorũ sit necessaria permutantibus.

295

Vbi & quando sit opus exprimere vel minimum etiam beneficium.

296

Ratio discriminis inter ordinarios Collatores et Põb. hac in re.

tur? iuri rationiq; conformius esse reor, expref-
 sione tali siue mētionē beneficij cuiuspiā alte-
 rius, quā quod in permutationē venit, opus
 non esse: quandoquidem non simpliciter nec
 ex mera gratia cōfertur beneficium vacans ex
 resignatione propter permutationem facta, sed
 beneficium vnum in locum alterius beneficij
 succedit non pro singulari lucro, vel ex causa
 lucratiua neque pro nona locupletatione, sed
 pro iusta pensatione proprij beneficij pro be-
 neficio alieno resignati, ita vt nihil noui videat-
 ur acquisitum. Quam sententiam & Senensis
 in d. tractat. de permut. quæst. 18. indistinctè
 sequitur; siue nimirum propter fauorem sola-
 rum personarum fiat permutatio siue propter
 vtilitatē Ecclesiæ singularem, siue beneficium
 pingue permutetur cū tenui, siue par cū pari,
 siue beneficium simplex cum habēte annexam
 curam animarū siue cum simplici, siue par de-
 nique fuerit personarum permutantium quali-
 tas & aptitudo, siue dispar; cū semper verum
 sit, per approbationem superioris omnia satis
 esse purgata vel ab omnibus reprehensionibus
 exēpta liberataq;. quādoquidem poterat alio-
 qui permutationē non admittere superior, Pō-
 tifex nimirum vel Pōtificis Legatus potestate
 beneficiorū conferendorum præditus, nempe
 Cardinalis, non quiuis alius, nisi specialiter
 hoc ei concessum fuerit c. r. de offic. Leg. in 6.
 Consequitur ex præmissis resolutio quæ-
 stionis alioquin ambiguae de docentibus pro
 beneficij consecutione. possitne videlicet la-
 bordo.

bor docendi cum ecclesiastico beneficio permutari. Nam si beneficia dumtaxat inter sese permutari possint, non autem beneficij cum alio iure spirituali permittatur permutatio, sicuti diximus, nullo modo labor docendi seu Theologiam seu quamlibet etiam scientiam permutari poterit cū beneficio, quicquid tandem sibi velit Panormitanus ad c. quia nonnulli. de magist. & ne quid exig. pro licent. docen. quem iustissimè reprehendit Nauarrus in Enchiridio suo Confessoriorum. cap. 23. nu. 100. in explicatione definitionis vitij Simonia. Quanquam Nauarrus ex alia ratione Panormitanum reprehendit; ex hac nimirū, quòd labor docendi non sit aliquid spirituale quantumlibet circa Theologiam versaretur; ideoque Simoniam non committi dum pecunia seu salarium pro labore docendi recipitur; Panormitano post Hostiensem scrupulos inaniter inijciente, quasi spirituale quid esset labor docendi, & per consequens ita Simonia crimen incurreretur per mercedis acceptionem; sed è contrario non fore Simoniam, si beneficium permutaretur cum labore docendi è quòd spirituale cum spirituali rectè permutari possit: cū tamen prorsus inuertenda sit oratio; quandoquidem cū docendi munus non sit aliquid spirituale, Simonia non erit aliquid pro munere illo recipere; sed Simonia committeretur si labor docendi pro beneficio rependeretur. Quale factum seu qualem conventionem DD. nostri parum propriè vocant per-

297

Labor docendi possitne cū beneficio commutari.

298

Docendi mercedem non esse Simoniacam; sed pro beneficio docere, Simoniacum esse.

permutationem, cum sit potius *facio ut facias*, hoc est, doceo ut beneficium conferas. Hæc intellige si beneficium per se non habeat annexum docendi laborem.

299 *Resignare causa permutationis expressa licere, sed in fauorẽ coram ordinario non licere; & quare.*
 Ait Pont. *Ex causa permutationis resignata*, Norant hinc Interpp. post Glossographum, resignanti beneficium licere nominatim hoc exprimere, non simpliciter sese sed ex causa permutationis resignare; quantumlibet in fauorem simpliciter coram ordinario resignare quis nequeat citra Simonix periculum sicuti copiosè declaratum fuit ad cap. cum olim. de permut. Ratio diuersitatis est quòd permutatio beneficiorum propter causas iam sæpius inculcatas iure tandem fuerit permessa, successionis verò species omnis omnino damnetur nisi quatenus Pontifex ipse summus resignationes in fauorem probauerit.

300 *Tractatus de permutandis beneficiis.*
 Ait Pont. *Permutare volentibus. & c.* Ex hoc item loco rectè nostri colligunt iure permisum esse tractatum de beneficiis permutandis, tametsi permutationis contractum perficere beneficiari per sese soli nequeant sed auctoritas seu consensus requiratur superioris, immò non consensus tantum, verum etiam tum resignationis acceptatio tum deinceps beneficiorum hinc inde sic resignatorum collatio, quod quia plenissimè prosequuti sumus in superioribus capp. huc pertinentibus explicandis, hic operosiores non erimus.

Ait Pont. *Conferantur, & c.* Diximus ad Bonifacianam, quinam sint illi superiores partim
 iure

Iure communi partim consuetudine, penes quos admittendarum permutationum confessorumque beneficiorum ex causa permutationis resignatorum, & per consequens vacantium, sit potestas. Hic obiter cum nostris Interpp. atque Glossographo quærendum videtur haud importunè, sitne potestas hæc ordinaria penes Capitulum cathedrale vel metropolitanum vacante sede vel Episcopali vel Archiepiscopali. Qua in re necessariò prænotandum est, ea quidem quæ sunt iurisdictionis Episcopalis vacante sede in Capitulum transire; quæ verò sunt ordinis vel etiam collationis beneficiorum soli Episcopo competentis, non transire. c. 2. ne sede vac. aliq. inno. cap. his quæ pro Ecclesia. & c. cum olim. de Maior. & Obed. & c. unico de maior. & obed. in 6. & ad singula illa capp. DD. Quamobrem si beneficia permutanda pertineant ad solius Episcopi collationem, verius est à Capitulo permutationem illam admitti seu approbari non posse, cum collatio approbationem sequi debeat, quæ quidem collatio minimè competit Capitulo. Si quis dixerit approbationem esse iurisdictionis & collationem venire in consequentiam, ideoque Capitulo collationem esse permittendam, respondendum erit, vna via non esse Capitulo vel alteri cuiumque concedendum quod alia via prohibetur cap. cum quid vna. de Reg. iur. in 6. quæ conformis est & vnanimis Glossographi nostrorumque sententia. Quod argumentum facit, vt ne
Legat

301
Capitula sede
vacante pos-
sunt ne permuta-
tiones ad-
mittere.

302
Pontificius
Legatus non
Cardinalis an
permutatio.
posse admittere
posse.

Legatus quidem Pontificius non Cardinalis permutaciones beneficiorum queat admittere, nisi speciale super hoc habuerit mandatum, quando quidem conferendi potestate caret. d. c. i. de offic. Legat. in 6. Sin beneficiorum permutatorum collatio pertineat ad Episcopum & Capitulum simul & coniunctim, sede vacante solum Capitulum permutaciones admittere poterit, cum possit absolutè simpliciterque vacantia beneficia conferre. c. vnic. in princ. ne sede vac. aliq. innou. in 6. quasi iure quodam accrescendi. Sed ecquid etiã priore casu (quando nimirum soli competit Episcopo beneficiorum permutandorum collatio) saltem resignationem ex causa permutacionis poterit recipere vel admittere Capitulum sede vacante, reseruata nempe futuro Episcopo collatione? sic existimat quidẽ Senensis in suo tractatu de permutat. quæst. 36. verum rectius mihi sentire videtur Lopus in suis ad eundem Senensem Additionibus, ne hoc quidem Capitulo permittendum esse si resignatio sit omnino voluntaria spontaneaque (sicut inter permutantes vt plurimum contingit) licet rationis aliquid habeat ea sententia si quibus propter aliquam culpam necessitas resignandi forsitan imponeretur in pœnam; quo casu resignacionis acceptatio meræ foret Iurisdictionis absq; collationis vel Episcopalis vel Pontificalis vel cuiuslibet alterius præiudicio. Quæ distinctio satis probari videtur argumento cap. admonet. de renúciatione. vbi beneficiorum renun-

303
An ne saltem
resignatio
posse per Ca-
pit. acceptari.

ciatia

ciatio beneficiariis prohibetur inconsultis Episcopis. iuncto c. execrabilis. §. Cæterum Ordinarios. de præbend. in extrauag. Ioann. 22. vbi beneficiorum punitur pluralitas, ideoque pro resignationibus admittendis etiam Capitula sede vacante possunt adiri; collatione soli reseruata Pontifici. Nam cessante dilationis periculo quid alioquin ineptius quam spontaneos permutantes, ac nihil omnino delinquentes, apud alios beneficia sua resignare, rursus apud alios post longissimum fortassis interuallum eorundem beneficiorum collationem hinc inde sibi fieri postulare? Satius est enim permutantium vel permutare volentium beneficia possideri ab ipsismet donec simul & semel absolui possit permutatio, quam non sine periculo tam diu vacare. quæ ratio cessat quando culpa resignationem postulat.

Pontifex hic utitur verbo conferendi; verum quid si beneficia permutanda non sint collationis, at electionis? num dicemus locum fore huic nostræ Clementinæ tam in collationibus & præsentationibus & postulationibus, quam in collationibus? Ita proculdubio dicendum videtur; cum ratio prorsus eadem sit vbique, nec discrimen sit inter has omnes vel similes beneficiorum adipiscendorum rationes atque modos vllum, quatenus quidem de permutationibus faciendis est quæstio. Nec obstat Cap. cum in illis. de præbend. in 6. vbi non potest consequi beneficium ex electione qui gratiam duxat impetrauit vt beneficium

l sibi

304
Dilatio resignationis aliquando periculosa.

305
An in electis beneficiis permutandis Clementina sit locus.

306
Collatio quando vel extendatur vel non extendatur ad Electionem.

sibi cōferretur; quia tales impetratiōnes odio-
sæ sunt, & è contrario semper est æquissimum
ne permutantibus illudatur, vt hic vel ex ipsius
Pontificis præfatione liquet. quare nec huic
opinionī quisquam magnopere refragatur.

Ait Pont. *Nullius hoc esse volumus firmitatis,*
Itaque collatio erit ipso iure nulla. Quid
igitur ante hanc nostram Clementinam? Cer-
tè collatio tunc aliis quàm permutantibus fa-
cta summo iure valebat, licet rescinderetur. c.
inter cætera. de præbend. vbi tamen ipsemet
Pōtifex admiserat resignationem ex causa per-
mutationis & beneficia sic resignata permu-
tantibus cōferri mādauerat; Episcopo nihilo-
minus alteri cuidam tertio beneficiū permu-
tantis vnus temerè conferente; quam colla-
tionem cum præcedētibus omnibus retracta-
uit, resignantibus illis duobus in integrum re-
stituitis. At hæc hæctenus in Clementinam.

AN SIT OPVS NOVA COLLA-
tione redeūti ad suum beneficium ex causa per-
mutationis resignatum.

*Item an propter non creatam pensionem vel pa-
ctiones alias non impletas repeti possit huiusmo-
di beneficium.*

Superest vt post explicata mediocriter su-
periora quinque cap. de permutationibus
beneficialibus loquentia, superaddamus bre-
uiter pauculas quasdam quæstiones, easque sin-
gulares, quibus accuratè tractandis immorari
non licuit hæctenus. tum propter aliarū quæ-
stio-

307

Ante Cle-
mentinā quid
hoc iuris.

tionum contextibus opportunissimarum varietatem atq; multiplicitem tum quod vno loco studiosis omnia proponi non potuerint neque verò debuerint, vt fastidium vitaretur.

Ac quoniam sub finē cap. cum vniuersorum, promiseramus pleniorē excussionem grauis- simæ quæstionis huius, an permutatione vel exitum non sortiente vel nō impleta vel alio- quin illusoria post impletionem reddita (pro- pter euietum fortè beneficium compermutan- tis alterius vel propter cōditiones aliquas non impletas) ipso iure rediri possit ad beneficium pristinum, an verò noua sit opus collatione, necessariò tandem nobis hac in re fides est li- beranda; quod iam antea factum oportuisset ad Bonifacianam. Dicebamus tentari posse, noua collatione opus non esse propter legem restitutionis inhaerentem beneficio ex causa permutationis resignato, si quando contingeret resignantem falli: sed res eget illustratione. Prius adferamus authoritates aliquot, hinc ra- tiones, postremò responsiones ad argumenta in contrarium prima facie facientia, cum limi- tationibus nonnullis. Rebuffus igitur (vt à po- sterioribus incipiamus) inter practicos Galli- cos minimè postremus in praxi sua beneficiali part. 3. tit. de permut. num. 12. non solam be- neficij pristini proprietatem sine noua colla- tione censer redire, verum etiam possessionem ipsam, aded vt retinendæ possessionis interdi- cto sit locus. de consuetudine non petitur, in- quit, noua collatio quando quis redit ad suum

308
Absque noua
collatione nō
redeatur ad
beneficium
pristinū per-
mutatione nō
impleta.

309
i Auctori-
tates de noua
collatione nō
requisita.

» beneficium, vt notat Ioann. Andr. in c. vnic.
 » cod. tit. in 6. & scripsi in tractatu de pacificis
 » possessoribus in 22. extens. num. 145. & sty-
 » lus Franciæ fuit allegatus, & secundum eum
 » iudicatum anno 1525. die 2 Maij, ideoque po-
 » terit agere etiã possessorio is qui redit ad suum
 » beneficium, etiam antequam redierit, vt sem-
 » per vidi obseruari, &c. sic ille. qui tamẽ in illo
 » suo Tractatu de pacificis possessoribus num.
 » quem hic memorat 145. nihil minus quã de
 » tali consuetudine loquitur; immò cõtrà, docet
 » ex professò sine noua collatione non posse re-
 » signantẽ ad suum redire beneficiũ. Sed priori
 » sententiã per consuetudinem Francicam pro-
 » batã conformia profert exempla seu res iudi-
 » catas Nicol. Boërius in suis decisionibus au-
 » reis, decisione 97. quemadmodum & Papon
 » in suis Arrestis tit. de permut. benefic. Arrest.
 » 2 & 3. Boërio plurimos alios, iuxta morem
 » suum, congerente scriptores idipsum sentien-
 » tes, vt Innocentium, Ioannem Andream, Ar-
 » chidiaconum, Dominicum, Geminianũ, Phi-
 » lippum Decium similesque; quos & nouissi-
 » mẽ secutus fuit Franciscus Duarenus libello
 » octauo de sacris Ecclesiã ministeriis cap. 3. in
 » fin. ratus, beneficio ex causa permutationis
 » vel non tradito vel alioqui post traditionem
 » semel factam euicto, verius esse, collationem
 » nouam non requiri modò beneficiarius vim
 » non inferat alteri, sed autoritate publica
 » possessionem apprehendat. argumento capi-
 » tuli cum qui beneficia. & capituli si beneficia.

depræ

Comment. in Clem. vnic. de rer. permut. 165
de præbend. in 6. Licet autem decisiones
Rotæ hac de re sint variz varieque sonent,
ultima tamen Decisio sub tit. de rerum per-
mut. in antiquis, huic sententiæ videtur ad-
modum fauere, vnà cum decisione 69. in an-
tiq. in cuius fine sunt hæc verba; *Si non seque-
retur permutatio, videretur resoluta possessio ipso
iure in ipsum resignantem causa permutationis.*
Quæ quidem omnia adeo censet vera Imber-
tus lib. institutionum foren. 1. cap 37. in ad-
ditione litteræ a, vt & interdicto retinendæ
possessionis agere contra non implètem pos-
sit ille qui vult ad beneficium suū redire, quasi
nunquam sua possessione excidisset in casum
quo permutationi non satisfaceret; & ita quo-
que per Arrestum anno 1525. pronunciatum
fuisse scribit ibidem, cuius etiam Rebuffum
videmus meminisse. Neque verò luculentissi-
mæ rationes quædam desunt cur ita sit sentien-
dum, siue proprietas ipsa vel quasi proprietas
beneficiorum ex causa permutationis resigna-
torum spectetur, siue possessio, postquam ab
altera parte non satisfit permutationis aut le-
gibus aut cõditionibus. habet enim, sicuti ple-
risque videtur, tota beneficiorum permutatio
vel potius propter permutationem facta resi-
gnatio tacitam conditionem hanc *si permuta-
tionis contractus effectum sortiatur stabilem* ar-
gumento cap. cum vniuersorum. de rer. per-
mut. & cap. vnic. in 6. & Clementinæ vni-
cæ eod. tit. quare vel non secuta vel etiam non
seruata permutatione nihil actū esse cõsebitur.

I iij haud

310
2 Rationes
huius opinio-
nis multipli-
ces ac varie.

311
Tacitã con-
ditionem be-
neficiorum
permutatio-
nibus inesse.

haud absimiliter omnino stipulationi dotis
 quæ non secutis nuptiis euanescit d. l. stipula-
 tionem. 7. de Iur. dot. prout inter superiora
 latius ostendebatur ad Bonifacianam, quan-
 quam hoc interest, quod in permutationibus
 beneficiorum bona fide factis id ex æquitate
 sola contingat, in stipulatione verò dotis etiã
 ex ipso iuris rigore. d. c. vnic. de rer. permut.
 in 6. & d. l. stipulatione. Quibus accedit quod,
 vt optimè monuit in suo tractatu de permut.
 quæst. 8. Senensis, æquissimum sit ne qui bo-
 na fide permutauit sumptibus atque laboribus
 pro noua collatione. cõsequenda grauetur at-
 que vexetur argumento cap. viduis 27. quæst.
 1. Circuitum præterea semper esse vitandum;
 nec iuris occasionem ad iniquum dispendium
 trahi debere. c. quod nonnullis. de priuileg. &
 l. cum qui à pupillo. vlt. C. de vsucap. pro em-
 ptore. Rationem quoque non inidoneam no-
 bis in hac sententia esse probat cõparatio per-
 mutationis beneficiæ cum venditione quæ
 fit interueniente pacto legis commissoria vel
 additionis in diem; vbi vt maximè venditio
 fuerit purè concepta, resoluitur tamen sub
 conditione. l. 2. ff. de in diem addict. l. 1. to-
 tiquæ tit. 7. de leg. commiss. quod multò ma-
 gis in permutationibus beneficiæ dicen-
 dum videretur, cum tacita semper iis insit con-
 ditio iam inde ab initio contractus & quidem
 lex ipsa natura contractus. quam quidem ra-
 tionem plurimi faciunt Auditores Rotæ ad
 decis. vlt. de rer. permut. in antiq. num. 7. ne
 boud in l. plu-

Off
 312
 Pactum legis
 Commissoria
 vel Addictio
 in 110 diem.

111
 ad inuolub
 in diem
 in diem
 in diem

pluribus nunc rationibus operose conquiren-
dis immoremur. Iam quod attinet ad posses-
sionis quoque retentionem si permutatio per-
petuum non sortiatur effectum, sic videlicet
vt ipso iure saltem ex æquitate (rigor nempe
iuris obstat, non autem ius ipsum benignius,
quatenus quidem de permutationibus quæri-
tur beneficialibus) possessio reuersa dicatur ad
pristinum beneficij possessorem, vel potius ac-
uerius nunquam ab eo abcessisse, ratione vide-
tur niti manifestiss. possessionis cuiuslibet con-
ditionalis; quandoquidem iuris est clarissimi
possessionem sub conditione tradi posse. l. qui
absenti. 38. §. 1. x. de acquir. & amitt. possess.
qui procul dubio semper est animus beneficia
sua ritè legitimeque permutantium. d. c. cum
vniuersorum: de rer. permut. d. Bonifacia. a.
dictaque Clementina. Nihilominus tamen in
contrarium facere videntur hæc; primò, quòd
beneficia permutanda resignentur, & per con-
sequens verè vacent, ac deinde conferantur
hinc inde permutantibus. d. c. unic. & d. Cle-
mentina vnica de rerum permut. ideoque fieri
non posse quin, vt ad ea denuo redeatur, col-
latione sit opus noua. Sed responsio iam pa-
tuit ex præcedentibus; quandoquidem condi-
tionalia videtur illic omnia. nec est quod quis
replacet, actus legitimos nõ recipere diem ne-
que conditionem. l. actus legitimi. §. de regu.
iur. quia conditiones tacitæ possunt illis inesse
d. l. actus legitimi. deinde constat ex resigna-
tionis diuisione per eundem tradita Rebuffum
l. iij iureque

313
Aliud est ip-
sum ius aliud
iuris rigor;
cum et equi-
tas dicatur
ipsum ius, at-
tamen beni-
gnius.

314
Possessionem
sub conditio-
ne tradi posse
sicuti domi-
nium.

315
Arg. incon-
trariam sen-
tentiam cum
solutionibus.

316
Actus legit-
imi quate-
nus recipiunt
conditionem.

iureque clarissimo nixa, nunc purè nunc sub
 conditione beneficia resignari. part. 3. praxis
 beneficialis. tit. de resignat. in princ. qualem
 conditionalem resignationem contextus om-
 nes nostri superiores in permutationibus be-
 neficialibus clarissimè probare creduntur. Et
 verò si regulæ huic iuris in his permutationi-
 bus beneficialibus esset locus, omnino seque-
 retur vt resignationes ex causa permutandorū
 beneficiorum factæ nullius planè forent mo-
 menti per cōditionis expressiohem, cum con-
 ditio legitimis actūs omnino vitiet, ita vide-
 licet vt nihil agatur. d. l. actus legitimi. in princ.
 & in ipso fine. Quis autem tam stupidus un-
 quam fuit vt resignationes beneficiorum per-
 mutandi causa factas existimaret esse nullas,
 cōtrā clarissimos iuris hac de re multiplicis à
 nobis hactenus explicati cōtextus? Alio præ-
 terea nos impetunt ariete qui nouam collatio-
 nem requirunt; aiunt enim, resignationes be-
 neficiorum non esse capaces vllarum vel con-
 ditionum vel pactiohum propter Simonix la-
 bem quæ alio qui contraheretur. c. vlt. de pa-
 ctis. At locus ille de pactis illicitis & iure pro-
 hibitis est intelligendus; tractatus autem de
 permutandis beneficiis iure permissus est, vt
 abundè demonstrauimus inter superiora; re-
 signationes autē ex causa permutationis, cum
 adiectione expressa clausulæ *nec aliter nec alias
 nec alio modo*, passim iure probantur; id quod
 meræ conditionis esse putatur. Nam quod
 Selua scribit in suo tractatu de beneficio
 part. 3.

317
*Regulā iuris
 de legitimis
 actibus hūc
 minime per-
 tinere, quia
 nō ulnc secu-
 riam vt be-
 neficia per-
 mutata non
 quam vaca-
 uerunt, vepo-
 se vitata per
 cōditionis ad-
 iectionem re-
 signatione;
 quod est ab-
 surdum iuri
 clarissimo re-
 pugans.*

318
*Quæ pacta
 resignationi-
 bus adijci re-
 esse possint.*

part. 3. quæst. 25. num. 5. sub finem. verfic.
nec obstat. resignationem beneficiorum ex cau-
sa permutationis conditionalem duntaxat esse
respectu collatoris ordinarij, eò quòd alteri
quàm permutantibus ipsis conferre nequeat,
non autem respectu ipsorum permutantium,
certè friuolum & ineptum esse deprehenditur
ex eo quòd ius ipsum permutantibus permit-
tat etiam resignationem ex causa permutatio-
nis, & non tantum resignationem simpliciter
& purè faciendam. D. Clementina vnic. de
rer. permut. Multos tamen huius opinionis
contrariæ recenset authores idem Selua, sed
falso fortasse nixos fundamēto vacationis qua-
si simplicis ac purè quæ simplex omnino pura-
que nõ est. Adfertur terriū pro contrā sentien-
tibus argumentū tale: secundum iura ciuilia si
permutatio non impleatur, aduersus non im-
plētē cõperit implenti condictio. l. natura-
lis. in princ. verfic. si autem. ꝛ. de præscript.
verb. & in fact. act. qua de re plusculum dixi-
mus ad Capit. cùm vniuersorum. in princ. Ne-
mo autē rem suam condicere potest nisi à fure.
l. vlt. ꝛ. fruct. quemad. cau. iuncto. §. sic itaque
discretis. instir. de Act. Vnde sequi videtur vt
res in permutationem data verè desierit esse
in dominio permutantis etiam si compermu-
tans vicissim non impleat neque seruet vel
tueatur permutationem; ac proinde nouam
requiri in proposito collationem. Sed faci-
lis est ad hoc argumentum responsio: nam
quod proditum est, rem suam neminem nisi

l v furi

319
Conditiona-
lem esse per-
mutationem
beneficialem
quoad omnes
cõtra Seluā.

320
Condictio
quomodo sit
opus permuta-
tione per
alterum non
impleta.

Condictiores
sue quate-
bus.

furi condicere posse, nihil aliud sibi vult quàm neminem rem suã sibi dari petere posse; quod enim nostrum est amplius nostrum fieri. i. amplius dari non potest. d. §. sic itaque discretis. verùm condictio quæ competit ex causa permutationis vel non impletæ vel non seruata seu non defensæ nullo modo tendit ad dandum sed ad restituendum. d. vers. sin autem. l. naturalis. ꝛ. de perscript. verb. id quod iuriconsultus illic apertissimè docet dum de cõdicente ex causa permutationis non impletæ sic loquitur, *vel si meum recipere velim, repetam quod meum est, quasi ob rem datum, re non secuta.* Similique modo loquuntur Imperatores in casu non impletæ permutationis omnino similis in. l. quoniam adseueras. C. de rer. permut. quo loco rem. i. fundum restitui iubent, idque conditionis, (vt aiunt) ratione; conditionem intelligētes tacitam quæ permutationi semper inest. Quod autem tali condictio sit locus etiam nostris in rebus, probat euidenter Iuriconsultus in. l. 4. §. vlt. ꝛ. de reb. credit. vbi debitor soluta pecunia rem suam pignori datam condicere potest; quem tamen rei suæ dominium durante pignore non amisisse certissimum est. Ac in aliis quidem rebus permutandis contingere potest vt etiam vera stricteque sumpta condictio sit opus illi qui rem suam dedit vt res alia vicissim sibi daretur quæ tamē minimè debatur; vt pote si res illa iam per alterum compermutantem alteri data restitui non possit, eò quòd alter qui accepit eam vel

corru-

corruperit vel alioqui labefactarit vel in nihilum fortè redegerit: quo casu nihilominus res condicetur vt præstetur eius æstimatio, quod erit propriè dare non autem restituere. quod incommodum nequit in beneficijs accidere, vtpote quæ semper extant & cum sua conditione transeunt in quoscunque possessores atque detentores. d. c. cum vniuersorum. de rer. permut. Cæterum vt maximè daremus iure ciuili res permutatas purè simpliciterque citra conditionem vllam, transire in dominium accipientis, quod quidem dominium non impleta per alterum permutatione restituendum sit conditione causa dati causa non secuta, d. vers. sin autem. nihil tamè impediret quo minus in beneficijs ecclesiasticis permutatis omnia sint ac maneant æquitatis intuitu merè conditionalia potius quam sub modo facta propter clausulam *nec aliter nec alias nec alio modo* siue per ipsos permutantes expressam siue tacite semper intellectam. Probatur item hæc de non requisita noua collatione sententia per argumentum à minori ad maius ex cap. si beneficia. de præbend. in 6. vbi liberè reuertuntur ad sua beneficia quantumlibet omnino dimissa & alteri iam collata hi quibus beneficia Pontifici reseruata fuerat per ordinarios collata, cum reseruationem ignorarent acceptationis tempore, dummodo sine difficultate talia beneficia reseruata dimiserint simulatq; rescuerint ea fuisse reseruata & aliis per Pontificem collata. Cui argumento non idoneè respon-

322
Ad beneficia dimissa liberè nonnunquam rediri.

respondet Selua. nam si simpliciter dimissa simpliciterque collata iam aliis, ipso iure possint recuperari, nempe citra nouam collationem, longè iustius ita recuperari poterunt beneficia non simpliciter sed ex causa permutationis resignata. Neque magnum pòdus est in eo quod Rebuffus in tractatu suo de pacificis possess. num. 147. & seq. sic scribit, beneficia tantùm dimissa faciliùs recuperari quàm beneficia resignata; quando quidem post quã collatio fuit iam alteri facta, redeùdi facultas tam difficilis immodò difficilior meritò debet esse simpliciter dimittētibus quàm resignantibus ex causa permutationis. Quid autem vel mirũ vel nouum si quis ad beneficium suũ sine noua collatione redeat non impleta permutatione, cùm ex consuetudine seniores Canonici beneficia consequantur noua per optionẽ solum sine collatione prorsus vlt. de cõsuet. lib. 6. nihilominùs tamen haud inficior quin tutius omnino sit vel collationẽ nouam accipere, prout Auditores Rotæ in prædicta decisione vlt. volunt, vel saltem cum ordinarij consensu ad beneficium suum redire: qualis consensus loco collationis haberi solet in beneficijs permutatis iuxta Staphileũ in suo tractatu de literis grat. & Iustit. fol. 63. editionis Venetæ; quod & per eandem decisionẽ Rotæ vltimam de rer. permut. in antiq. adnotatum fuit. Faciliùs tamẽ procul dubio rediri poterit ad pristinum beneficium quantũlibet resignatum, si collatio nondũ fuerit alteri cõpermutanti

323

Sine collatione prorsus nulla nouum subinde queri beneficium.

324

Consensus quandoque vim collationis habet.

tanti facta, vel altero permutationem non im-
 plente, quàm si semel vtrinq; permutatio fue-
 rit impleta quę postea propter euictum aliun-
 de beneficium alterum reddatur infructuosa
 compermutanti. Iuari nonnullis videtur hæc
 sententia per illam Cancellarię Regulam quę
 permutationibus beneficalibus hanc vult in-
 feri clausulam, *Quod neutri permutantium ius*
acquiratur nisi quilibet ipsorum ius habeat in be-
neficio per ipsum resignato. quod & antiquus e-
 iusdem Regulę Glossographus adnotatum re-
 liquit. nam si beneficium ex causa permutatio-
 nis acceptum euincatur, nihil in eo Iuris ha-
 buisse videtur is qui resignauerat, & per con-
 sequens neque ius aliquod acquisiuisse in alte-
 ro beneficio quod vicissim pro suo recepit.
 Sed ista ratio parum videtur habere momenti,
 cum in pari causa non iuris, melior sit condi-
 tio possidentis; quandoquidem nec is qui be-
 neficium verè suū resignauit semel, ius domi-
 nij vel proprietatis in eo poterit amplius ha-
 bere, modò pura fuerit permutatio. Verùm
 nos hæctenus in permutationibus omnibus
 conditionalē defendebamus esse resignationē,
 conditionalē vacationem, conditionalē col-
 lationem, conditionalia deniq; omnia. Quam
 tamen defensionem nostrā, potiùs in vtramq;
 partem disputandi, quàm seriò resoluēdi gra-
 tia factam videri volumus. Etenim post argu-
 menta partis vtriusque ad apices iuris reuoca-
 ta, cõformius esse videtur subtilitatibus iuris,
 ac etiam verius, omnem permutationem siue
 bene-

325
 Clausula per
 mutationi-
 bus inferi so-
 lita per Pont.
 iuxta Regu-
 lam Cancell.

326
 Cõditionales
 non esse per-
 mutationes
 beneficiorū,
 sed sub mo-
 do; id eòq; no-
 uam requiri
 collationem.

beneficiorum siue rerum quarumlibet aliarum ex natura quidem sua non esse conditionalem, sed sub modo tantum; nisi conditio quæpiam expressa per ipsos permutantes fuerit adiecta, nam conditiones alioqui tacitæ quæ duntaxat extrinsecus insunt, non faciunt ut vel contractus vel dispositio propterea vel dicatur vel sit cõditionalis. l. quæ extrinsecus. 99. π. de condit. & demonstr. l. cum illud aut illud. 25. §. 1. π. quand. dies leg. vel fid. cedat. Vnde consequens est, in quæstione proposita nouam re vera collationem requiri, vel certè consensum talem superioris qui sit instar collationis. Neque verò clausula salutaris hæc *nec aliter nec alias nec alio modo* conditionem facit vllam, sed simplicem duntaxat modum; siue fuerit inter permutantes ipsos expressa talis clausula, siue per sese semper intelligatur ex natura permutationis. arg. totius tituli de condiect. causa dati causa non sec. & l. quibus diebus. 40. in fine. & l. à testatore. 109. π. de condit. & demonstr. & omnium clarissimè & euentissimè. l. cum precibus. C. de rer. permut. quæ docet ex professo dominium rei permutatæ in compermutantem trāsire tametsi compermutans alter nondum impleuerit permutationem; si modò fides de implenda tandem permutatione fuerit alteri per alterum habita, prout ab interpretibus locus ille meritò limitatur ex §. venditæ. Instit. de rer. diuis. adeò ut si rem illam iam alteri cuiquam vendiderit idem compermutans, nec impleat permutationem, alter tamen

327
 Dominium ex
 causa permuta-
 tionis tran-
 sit, & inter-
 tium potest
 irrenocabilis
 ter trāsferri.

tamen rem illam semel datam nequeat ab emptore illo recuperare. Quod argumentū præter alia multa fortiter contra superiorem sententiam premit & meritò premit Egidius de bellamere in suo tractatu de permutatione beneficiorum part. 11. quæst. 3. Cur igitur à tertio beneficium recuperatur in c. cum vniuersorū. de rer. permut. ? Quia vel fraudis fuerat ibi particeps ille tertius, vel in subsidium præualet æquitas in beneficiis à quocunq; de-
tentore recuperandis. c. proposuit. de concess. præbend. Nec obstat huic sententiæ d. cap. si beneficia. de præbend. in 6. quia præter dimissionem beneficij simplicem sine resignatione prorsus vlla, simul interuenit illic error facti (nempe reservationis Pontificiæ) quem constat non debere cuiquam nocere. l. error facti. 7. de iur. & fact. ignor. Quòd autem sine collatione prorsus vlla subinde beneficium senioribus obuenerit per optionem solam, d. c. vlt. de consuet. in 6. sola consuetudinis (quæ lex est non scripta) facit vis & auctoritas; ideoque nec à permutantibus in consequentiam trahi debet. Attamen vt vt sit, vel vtrambet in hac quæstione sententiam sequi quis maluerit, intelligendum necessariò cuiuslibet est, non semper nec indifferenter ad beneficium suum rediri posse si non impleatur ipsi permutatio, sed limitibus quibusdam certis hanc redeundi facultatem regi seu coërceri. Sanè si tantum temporis à permutatione præterierit sine querelis vel interpellationibus
quan-

328
*Cur contra
tertium pos-
sit agi in cap.
cum vniuer-
sorū.*

329
*Respondetur
arg. in con-
trarium præ-
cipuis.*

330
*Limita-
tiones quibus
fit vt ad be-
neficia præ-
stata rediri
nequeat.*

quantum sufficiat ad præscriptionem, sed quis ad beneficium pristinum redire conaretur. Verum quidnam dicemus de quæstione pereleganti non ita pridem nobis proposita de conditionibus quibusdam non impletis? permutatio beneficiorum legitimè completa fuerat, interueniente nimirum beneficiorum hinc inde resignatorum collatione per ordinarium collatorem, nec vlla per quemquam euictione secuta; sed conditio tantum quædam creandę pensionis, de qua conuenerat propter inæqualitatem fructuum, non implebatur, siue pars debitorum illam pensionem creare non curasset (id quod in se tamen receperat) siue non potuerit impetrare à summo Pontifice ut ita quemadmodum conuenerat crearetur; interim tamen ex mera gratia liberalitateque necessitatibus & inopiæ pensionarij succurrebat promissor: tandem propter non impletam pensionis creandę conditionem, voluit ad suum redire beneficium pensionarius ille, non oblata beneficij vicissim accepti restitutione, ut qui iam illud ad alium transtulisset. Quærebatur an ad suum iure redire posset. Ac respondebamus, non posse, nam licet vel non impleta per alterum permutatione beneficij, vel alioquin euicto post impletionem beneficio, redire possit alter ad suum beneficium, tamen si hoc quod est in beneficiis permutandis principale semel fuerit ac maneat impletum (beneficiis videlicet ipsis hinc inde resignatis & collatis & pacificè possessis nec euictis) propter

331
An propter
non solutam
pensionem redi-
ri possit ad
beneficiū pri-
stinum.

solas

solas quasdam leges extrinsecas non impletas ad restituendum beneficium nequit agi, sed ad huiusmodi leges implendas duntaxat; praesertim si beneficium vicissim acceptum non restituatur nec offeratur. Et generaliter quidem tradere videtur Baldus ad l. si pecuniam. vers. si autem vnus impleuit, sed alter incepit neque tamen consummauit. *π.* de conditione causa dati causa non sec. pœnitentiæ non esse locum in permutationibus quando ex vna parte totum est impletum & ex altera parte saltem aliquid est impletum circa partem permutationis intrinsecam, si pœnitentia talis alteri parti damnum esset allatura. quod plenius ibidem luculentiusque prosequitur Bartolus aliique DD. nostri. Quæ tamē doctorum nostrorum traditio satis mihi suspecta videtur in casum quo permutans ille qui ad suum beneficium vult redire propter non impletam pensionis creandæ conditionem, beneficium ab altero acceptum restituere paratus est & offert: nam siue sint extrinseca siue sint intrinseca quæ restant implenda, si non impleantur, certum est conditionem. i. legem seu modum permutationis defecisse, ideoque per consequens tanquam permutatione non impleta liberum esse reuerti per vias competentes ad beneficia pristina. Sed horum satis: dicamus nūc pro coronide pauca quedam de triangularibus istis beneficiorum permutationibus.

332
An in genere propter conditiones aliquas extrinsecas non impletas redeatur ad beneficium pristinum.

m DE

333
Permutatio
triangularis
an licita sit.

Mirus quidam fuit inuentus & hoc nostro venit in vsum seculo triangulus non mathematicus at beneficiorum permutatorius; canonibus nostris, quin & interpretibus ipsis antiquioribus omnibus hactenus ignotus & incognitus. exempli causa: placuit inter A & B & C beneficiarios (Annam, Barabam, & Caipham) vt ex causa permutationis beneficia singuli sua resignarent, ita vt B consequeretur beneficium illius A & C consequeretur beneficium illius B & A denique consequeretur beneficium illius C. Quæ triangularis ob id nominatur permutatio, quòd personarum trium diuersarum beneficia veniant in contractum, quarum tamen illa persona quæ dat nihil vicissim accipit ab ea cui dat sed ab alia. Quadrangularis appellanda permutatio, si quattuor diuersarum personarum permutantium interuenirent beneficia; sicque deinceps. Quæritur an ita rectè fiat beneficiorum permutatio. Pro permutatione tali facit, quòd licet accipiēs alienum beneficium vicissim non reddat eidem beneficium suum, tamen alteri reddat ex eiusdem abs quo nouum accepit voluntate. Sed contra permutationem talem facit, quòd in omni permutatione quædam reciproca requiratur inter ipsos dantes & accipiētes datio, sic videlicet & vt mea res tua fiat, & vicissim tua res mea fiat; id quod in isto vel

trian-

triangulo vel quadrangulo non est. Cui quæ-
stioni priusquam respondeamus, & vt com-
modiùs respondeamus, opere precium fuerit
premittere quæstionem non omnino dissimi-
lem à veteribus nostris Interpretibus tracta-
tam, quid si nimirum sic beneficia permute-
mus vt meū beneficiū tu accipias, tuum verò
beneficium non ego vicissim recipiam, sed ali-
quis tertius, nepos fortè quispiam vel amicus
meus omni beneficio destitutus vel qui alio-
qui vicissim nullum beneficium reddat? Ac re-
spondit quidem Ioan. Andreæ ad c. vnic. de
rer. permutat. in 6. num. 2. talem permutatio-
nem fore Simoniacam nec ad Bonifacianam
pertinere. quod idem secutus est Petrus An-
charanus in d. c. vnic. de rer. permutat. in 6.
notabili suo 3. propter masculam hanc ratio-
nem quòd ipsismet inter se permutantibus &
non aliis beneficia propter permutationē re-
signata conferri debeant. Senensis item tribus
verbis in ipsomet sine sui tractatus de permut.
Ioannem Andreæ laudat huius opinionis au-
thorem; non esse videlicet permutationem, si
meum beneficium resigno vt illud habeas tu,
atque tuum detur meo nepoti, nec mirū sanè;
quia nihil hinc inde proficiscitur à dante ad
accipientem, sed tertio cuidam datur qui per-
mutationis ipsius prætenſæ nullo modo fuit
vel author vel pars contrahens. Verùm quæ-
stio nostra seu casus noster ponit omnes hos
tres inter se contrahentes, & aliud beneficium
pro suo accipientes quidem, sed nō hinc inde,
m ij hoc est,

334
Quæstio Do-
ctorum non
omnino dissi-
milis de dan-
do vicissim
beneficio ali-
cui tertio non
comperrun-
tanti.

hoc est, ab eodem cui quisque suum cessit. Quidnam dicemus? Equidem non video quâ possit vlla isthic agnosci permutatio, cum nulla sit inter ipsosmet accipientes atque dantes mutua seu reciproca seu hinc inde datio, sine qua permutatio nomen suum tueri nequit; vt apertissimè liquet ex omnibus & singulis tum legibus tum capitulis totius tituli Pandectarum & Codicis & Decretaliû & Sexti & Clementinarum de rer. permutat. Quamobrem cum omnes pactiones beneficiales extra causam canonicæ permutationis proculdubio sint prohibitæ tanquam simoniacæ, c. vlt. de pact. & c. super eo. de transf. & ibi post Glossographum plerique DD. nostri, iuncto c. ex parte N. cum gloss. 2. de offic. & potest. iud. delegat. consequens est vt isti seu trianguli seu quadranguli Simoniacos efficiant & includat ac inuoluant. accipitur enim per tales permutationes triangulares vel quadrangulares beneficium nouum, non ex causa veræ permutationis, at pro mera gratificatione proque meritis officiis hinc inde præstandis, quasi mulis mutuam scabentibus, cum tamen obscurum non sit, Simoniam non minus committi per interuentionem vel obsequiorum vel officiorum vel pactionum quarumlibet etiam pecuniis non æstimabilium, quàm per interuentionem pecuniarum: qua de re luculenter Nauarrus in suo Manuali Confessoriorum cap. 23. num. 100. illatione 2. vers. posterioris generis. ratione simul hac reddita, quòd in his & similibus

335
 Simoniam posse
 se committi
 etiam sine pecuniarum vel
 rerum pecuniis æstimabilium interuentione; &
 quidem spiritualibus
 datis pro spiritualibus.

libus casibus detur vel relinquatur ius aliquod spirituale cum onere faciendi quippiam per accipientem, quasi in pretium vel pro pretio rei spiritualis; id quod iure multiplici prohibetur; adeo ut & vera duorum permutatio beneficij cum beneficio .i. rei spiritualis cum spirituali, censeatur atque sit Simoniaca si solos inter cōtrahentes autoritate fiat propria, sicut inter superiora docebamus ad c. cum olim. Quis autem non videt in permutationibus istis triangularibus vel quadrangularibus beneficium sic alteri cuiquam ab altero dari seu relinquere ut is vicissim teneatur ac obligetur gratificari certo cuiquam tertio simul compermutanti? Dixerit fortasse quispiam; frustra fieri per plura quod fieri potest per pauciora: duabus autem permutationibus in casu propositæ quæstionis rectè beneficia tribus istis compermutantibus obuenire posse; si nimirum prius A & B inter se soli permutent, ac deinceps A rursus & C inter se soli, vel ordine verso, prius A & C, ac deinceps C rursus ac B. Quidni ergo fiat id vnica permutatione triangulari? respondendū est, in contractu illo gemino veras interuenire permutationes duas, in contractu autem isto triangulari vnico nullam reuera esse permutationem. atqui cōventiones & pactiones omnes beneficiales, excepta sola permutationis causa, sunt Simoniacæ secundum superius memorata. Qua verò tandem de causa, putas, inter sese duo soli non permutarūt prius, ac deinceps alter solus cum

m iij tertio?

336

*Triangulus
quomodo sit
Simoniacus.*

337

*Cur vnica
permutatio
ne triangulari
nequeat, fieri
quod rectè fit
permutatio-
nibus veris
duabus.*

338
Vbi lateat
hic anguis in
herba.

339
Quid si collator
ordinarius ad-
miserit permuta-
tionem trian-
gularem?

tertio? certè non alia de causa quàm quòd an-
guis in herba lateret nec alter alterius benefi-
cium vel breuissimo momèto habere seu po-
tuerit seu voluerit; ideoque vias obliquas am-
bo per triangulum quæsiuerint, vt per adhibi-
tionem & interuentionem tertij vel etiam
quarti compermutantis negotium conficere-
tur quod regia via confici non potuit. quales
artes à recta & canonica seu legitima benefi-
ciorum adipiscendorum ratione debent esse
remotissimæ, ne vitiosus ad functiones ec-
clesiasticas detur ingressus. Quid igitur, si
permutationes tales triangulares approbaue-
rit & admiserit ordinarius collator, & benefi-
cia secundum eas resignata contulerit? Nihil
egerit, opinor, ordinarius conferendo; cùm
talis admissio non sit in ipsius potestate, non
magis quàm admissio resignationis in fauo-
rem de qua differuimus ad c. cùm olim. Qui-
bus consequens est, vt huiusmodi beneficia
sic resignata, quinimmo & collata, vt ac tan-
quam propter Simoniam vacantia, neq; cum
permutatione quicquam commune habentia,
rectè possint ab expectantibus Pontificiis vel
aliis quibuscumque impetrari: quemadmodum
de quæstione sua modò proposita responde-
bat Ioannes Andræ; cæteris omnibus inter-
pretibus qui post illum scripserunt idem sen-
tientibus; ac inter cæteros, Dominico Gemi-
niano in d. c. vnic. de rer. permut. in 6. quæst. 2.
& Petro Andrea Gammaro in tractatu suo de
permut. beneficiorum part. 2. num. 56. &

ib. Coll. sac. Iure Paderb. a. 1610. Panor.

Comment. in Clem. vnic. de rer. permut. 183

Panormitano ad c. cū vniuersorum. num. 5.

Philippo franco in d. c. vnic. de rer. permut.

in 6. num. 3. Nec facit ad rem quod adfereba-

tur pro validitate talis permutationis; tertio

scilicet huic ex voluntate compermutantis

dari; quia talis voluntas extra causam permu-

tationis est improba, cū beneficia non ex

volūate possessorum quasi successionis quo-

dam iure sed ex canonum dispositione de-

pendeant.

340
Respondetur
ad arg. pro
tali permu-
tatione alla-
tum.

FINIS.

